# VITA
## EXIMII VIRI
# IOANNIS CANTII
## S. TH. DOCTORIS, & IN CRACOVIENSI ACADEMIA PROFESSORIS,

*Tum ex MS. Collegij Maioris, & Ecclesiæ S. ANNÆ, (in qua Sacrum eius depositum quiescit,) in Archiuo eiusdem asseruato: tum ex Matthia de Miechouia rerum Polonicarum Historiographo; & ex alijs recentioribus fide dignis, qui gesta vitæ eius celebrarunt: pro beatificatione illius consequenda,*

COLLECTA & DESCRIPTA.

*Studio & opera*

*M. ADAMI OPATOVII S. TH. Professoris, ad S. Annæ Decani.*

CRACOVIÆ, Ex Officina Francisci Cæsarij. 1628.

# Approbatio.

*Ego SEBASTIANVS NVCERINVS S. Th. D. Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis Ordinarius Concionator, Librorum in lucem typis prodeuntium in Diœcesi Cracouiensi Censor, fidem facio, quòd hanc Vitæ D. Ioannis Cantij descriptionem, ab Adm. R. D. Adamo Opatouio S. Th. D. ac in Academia Cracouiensi eiusdem Professore, Ecclesiæ S. Annæ Decano, publico vsui collectam, vidi & legi: & quia fidei Sanctæ, probisq; moribus consonam, præclarisq; sanctimoniæ Christianæ exemplis, & candoris Academici argumentis refertam reperi: idcirco vt prælo publici iuris fieret, permisi. Crac. 25. Martij. 1628.*

# PRÆFATIO.

BEnedicimus Deum cœli & terræ, Patrem & Filium, vnà cum S. Spiritu, Deum vnum in Trinitate, eundemq́; Trinum in vnitate, ineffabilem & glorioſũ: & coram omnibus viuentibus confitemur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam, eligens in Septemtrionis Regni Poloniæ Cracouienſi Gymnaſio, dilectũ ſeruum IOANNEM CANTIVM, & in eo innumera gratiarum dona, & admiranda virtutum opera manifeſtans. Quæ quidem cum breui ac ſimplici ſtylo, vnâ cũ vitæ eius ſanctitate, de auxilio gratiæ Dei confidentes, comprehendere nitimur, opera Dei reuelare, & confiteri, quod honorificum eſt, pro noſtra tenuitate intendímus,

## Eo ordine, qui ſequitur.

1. *De Patria, Parentibus, & educatione domeſtica V. Ioannis Cantij.*
2. *De præclara eiuſdem iuuentute, in ſtudiis Academicis exacta.*
3. *De ſtudio Humilitatis, cum ſui deſpicientia.*
4. *De admirabili ſimplicitate.*
5. *De pietate in Deum, ſeu cultus diuini feruore.*
6. *De patientia & tolerantia aduerſitatum voluntariè ſuſceptarum.*
7. *De mortificatione corporis.*
8. *De operibus miſericordiæ.*
9. *De dono Prophetiæ.*
10. *De conuerſatione cum viris Beatis, qui illius ſeculo, vitæ ſanctitate claruerunt.*
11. *Catalogus breuis laborum, quos in ſtatione Academica ſuſtinuit.*
12. *De tranſitu ex hac vita ad immortalem.*
13. *De quibuſdam miraculis, quæ mortem eius ſubſecuta.*

## CAPVT I.

### De Patria, Parentibus, & educatione illius domestica.

EXimius IOANNES CANTIVS, natale solum sortitus est oppidum Canty, Latinè sonat angulos, quòd duos pręaltos Carpati montes versùs meridiem aspiciat, qui exporrectis in longùm laterum extremitatibus, & proximè coeuntibus, angulum videntur efformare: vicinum Silesiæ locum occupauit, fines ditionis Polonæ disterminans, propè Osuecimum, in spatio octo milliarium a Cracouia distans. In hoc oppido, Honestis atque inprimis Catholicis parentibus natus est, in festo Sancti Ioannis Baptistæ, Anno Salutis, M. CCC. XCVII. patre Stanislao, viro Consulari, & pietatis insigni cultore: qui susceptum puerum, vnà cum coniugé sua Anna, muliere pudicitiæ & diuini cultus amantissima, cognitione Dei, & primis fidei Catholicæ

rudimentis imbuere, & ad omnem probitatem, teneram eius mentem conformare studebat. In omnibus ille parere consuescit, monita parentū amplecti, ludos pueriles aspernari, serium quiddā & graue vultu & factis prȩseferens, cælestis gratiæ iam inde in corde suo inhabitantis, præclara documenta prȩbebat.

## CAPVT II.

*De præclara eius iuuentute, in studiis Academicis peracta.*

EXactis pueritiæ annis, sub parentum disciplina, & literarum primordijs degustatis, voluntate eorundem, adit celeberrimū pietatis ac omnium scientiarum domicilium, quod tunc D. Iagellonis munificentiâ instauratum, studiosorum frequentia, assiduitate, & summa Professorum in docendo contentione florebat. His sub magistris, mens illa pia, studio cognitionis ardens, & iam secreto Dei iudicio, huic ipsi loco, in illustre ornamentum desti-

destinata, vberes cum prouentu fructus in lucem erumpentes proferebat, & tantò prę cæteris gratiores, quantò à vitæ innocentia, modestia, abstinentia, quandam peramænam venustatem capiebant. Latere non potuerunt, quamuis depressa, sui despicientiâ, & amore contemptus sæpius humiliata fuissent, studiorum incrementa, & perspicacis ingenij acumina; sed in debitis ac consuetis exercitijs, quandoq; vt scintillæ, quandoq; vt radij instar fulguris illucescētia, vi sua natiua se prodebāt. Et quia tanquam lucerna ardens, super candelabrum in domo Domini reponi debuit, vt in ea ambulantibus luceret: & tanquam palmes insertus viti, vitæ integerrimæ exemplo, tanquam foliorum viriditate, vmbraculum angustiatis, in æstu tribulationum parabatur, & qui doctrinæ salutaris vbertate, tanquam vuarum dulcedine, angores animi exhilararet: & quia tanquam fons paruus, in fluuium crescere debuit, & in aquas plurimas redundare, quibus

Christi

Christi fidelium animas, tanquam plantas irrigaret ac fæcundaret, ita disponente Deo, & eorum quorum se potestati permiserat, consilio accedente, omnes in bonis literis, & in Philosophia gradatim dignitates suscepit: ad extremum, ipsi supremo Doctoratus in Theologia honori, submisit caput, illiusq; operoso muneri humeros subiecit. Iam quoq; susceptum sacerdotij munus, officium illi ac necessitatē, tantò impensiùs docendi imposuerat: illud dictum D. Pauli, tanquam ad se directum, semper animo versans: *Exemplum esto fidelium: in verbo, in conuersatione, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ, attende tibi & doctrinæ, insta in illis: hoc enim faciens, teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* Illud quoque monitum D. Ambrosij, tāquam ab hoc fonte, diuini oraculi haustum, sedulò voluebat: *Ante vita, quàm doctrina quærenda est: vita enim bona & sine doctrina habet gratiam: doctrina sine vita integritatem non habet.* Sibi igitur hanc legem ponit, vt cum dictis facta concor-

concordent, & primus illius virtutis in ſe experimentum capiat, ad cuius ſtudiũ alios inuitat, illamque doctrinam ſolam in animis audientium germinare ſicut lilium, & fructus virtutum afferre, quę docentis rectè viuendi exemplo, eſt firmata. Huc itaq; confiſus de gratiæ auxiliantis ſuffragio, omnem curam, ac ſolicitudinem conuertit, vt vitam ſuam ad Euangelij præſcripta, tanquam ad ſpeculum componeret, donec in ſe Chriſtum, illius veſtigia imitando, formaret.

## *CAPVT III.*

### *De ſtudio Humilitatis cum ſui deſpicientia.*

PRimùm omnium Humilitatem, quòd Chriſti exemplo ſanctificata eſſet, & eiuſdem encomio commendata, plurimum adamauit; tanquam firmiſſimum virtutum omnium fundamentum, in quo ſpirituale ſanctitatis ædificium extrui debet, & ad cœleſtia ſublimari. Hanc animo ſuo medul-

dullitus infixam, hanc in tabulis cordis insculptã esse, summoperè exoptabat: secum assiduò recogitans, soli diuinæ maiestati excellentiam, sublimitatem, celsitudinem, propter æternitatis durationem, propriam, & hæreditariã esse: homini verò nihil germanius vilitate, abiectione, cùm sit figmentum de limo vilissimo, & post recessum ex hac vita, putredo & vermes hæreditabunt illum. Considerabat quàm sit vehemens, quàm violenta ad vitia, ad interitum promptitudo, ex labe primi peccati contracta: & quàm validis auxilijs diuinæ gratiæ indigeat, ad pietatis & iustitiæ opera exercenda. Sibi itaq; ipsi verissima cognitione vilescebat, se, in veritate, dignum quouis contemptu, ac dedecore iudicabat: nam omnes quoscunq́ue vidit, sibi anteponebat, eosq́ue tanquam se meliores, honore præueniebat. Non inflabat illum scientia, multiplici cognitione ac rerum varietate instructa: non

cele-

celeres ingenij motus, disputationum feruore accensi, & cum acumine vibrati: non honores Academici, virtutibus eius ac doctrinæ debiti, extollere potuerunt: non denique suprema dignitas, quæ alias antecedit, Doctoratus in Theologia delata, elatiorem fecit, sed vitæ austeritate multiplicata, in recondito animi sui recessu, vilior in oculis suis apparuit, & haberi ab omnibus studuit. Satis illi in Collegij conuictu, humiliandi se occasionum aderat, sed hæc humilitas visa est ei honorata, quòd non ab omnibus, ob quandam iam conceptam sanctitatis opinionem, despiceretur. Regiones itaque remotas, vili assumpto habitu, pauperis peregrini obibat, cùm alijs de causis, tum vt omni exutus honore, contemptu, abiectione, opprobrijs saturaretur.

✠

## *CAPVT IV.*

### *De admirabili simplicitate.*

SIC ad ima profundæ abiectionis, animo per veram humilitatem deducto ac defixo, morum quædam temperantia, mirâ simplicitate venustata, subsecuta est, effigiē innocentiæ amissæ referens. Nam in vitæ suæ actionibus, candorem animi absq; omni versutia coluit: ignorauit sapientiam huius seculi, quæ per ostentationem multa fingit, per fucum gloriam aucupatur; sed sapientiam Dei, & scientiam Sanctorū didicerat; deponens omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationem, sicut modò genitus infans, & quam animo innocentiam, & puritatem retinuit, hanc seclusa varietate, dictis & factis exhibuit. Cum enim solitarius nullū in comitatu habens, sed de præsentia ac protectione Dei certus, in cuius iugi recordatione in omnibus vijs ambulans, iucūdaretur:

daretur: ſiquidem cum ſimplicibus ſermocinatio eius: cùm ſic, inquam, ſolus, greſſus Romam dirigeret, ecce derepente proſiliunt è latebris prædones: ſanctum inuadũt: indignis modis tractant: verberibus contuſum ſpoliant: quicquid pecuniæ ad ſubſidium viatici erat, auferunt: inſuper tormenta minantur, ni ſpontè reſiduum tradat. Ex hac inopinata perturbatione, oblitus aliquot aureorum, qui in veſte inſuti latebant, cõfeſſus ſe nihil amplius retinere. Sed poſtquam animum ex metu recepit, & reconditioris pecuniæ recordatus fuiſſet, exhorruit, dolore & anxietate animi conſternatus, concito gradu abeuntes inſecutus, multis precibus inuitans, vt ad ſe redirent; coram quibus in genua procumbens, ſe in Deum peieraſſe, diuinamq; indignationem meritò incurriſſe confitetur: & quicquid per obliuionem reſeruatum erat, totum lubens tradit. Hanc tantam viri ſimplicitatem illi ad-

mirati, pedibus eius aduoluuntur, erepta restituunt, veniam precantur, quam ille facile condonat. Tuum est dogma, ô mundi Saluator, & cœlestium pręceptorũ seminator: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Iam mete fructus, quos in viro sancto seminasti. Imitatus est serpentis prudẽtiam, dum ad speciem mendacij, per imprudentiam commissi, & in animo suo obuersãtem expauit. Imitatus columbæ simplicitatem, dum de vlciscendo non cogitauit: sed ad hostes, tanquam ad amicos accessit; & oblitus iniuriarum, nouis beneficijs ornat, illud Apostolicum implens; *Vos autem nolite deficere benefacientes.*

## *C A P V T V.*

### *De Pietate in Deum, seu cultus diuini feruore.*

PIetatis ac cultus Dei studium, ab ineunte ætate, vbi primùm ratio fungi suo officio cępit, tantoperè complexus est, vt terreno-

renorum expungens cupiditates, iam in cælo conuersari videretur; eam denique, toto vitę tempore, mundam & im̃aculatam retinuit. Sciebat eò mentẽ dirigendã esse, quò vultus erectus est: qui cœli pulchritudinẽ & amplitudinem admirans, ad tanti opificij conditorem colendum inuitat. Sciebat ex munere vocationis suæ, cognitionẽ sapiẽtię ad se pertinere, sed nolebat à seipso sapiens esse, sed ab illo illustrante, de quo scriptum est: *Omnis sapientia à Deo.* Hominis autẽ sapientia, pietas est, quæ animos deuotos, ac Deo colligatos, admirabili rerum sublimium cognitione illustrat. Tantò autem ardore Dei inflammatus flagrabat, vt templum in domicilium potius, quàm Collegiũ elegerit: pectus enim pio amore sauciatum, & sanctę deuotionis affectu calens, expeditis professionis munijs, Christi Dei suauissimam præsentiam, quam in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento agnoscębat, in domo orationis

requirebat. *Adducebas eum Domine in montem ſanctum tuum, & lætificabas eum in domo orationis tuæ.* Verè adducebas. Quomodo enim in odorem vnguentorum tuorum curreret, niſi eum funiculis, amoroſæ dilectionis traxiſſes. Vos ó robuſti funiculi, in textrina amoris diuini complicati, vos cor eius vinciebatis; & ſuaui iucunditate impinguatum, in conſpectu Dei ſiſtebatis. Adducebatis eum in montem ſanctum beatæ cōtemplationis, vbi ſpiritus eius, intelligentia cœleſtium irradiatus, & deſiderijs æternę dulcedinis accenſus, in Deum rapiebatur. Lætificabas eum Domine, in domo orationis tuæ, dum in eo iuge deſiderium, vehementius amandi teipſum excitabas: dum illi teipſum crebris inſpirationibus manifeſtabas: & quaſi amicum, in domo non aliena, ſed tua, quæ eſt orationis, ſuauiſſimis diuinarum conſolationum epulis ſatiabas. Frequens illi & vſitatum erat, in ſacrificijs laudum offerendis

Deo,

Deo insomnes noctes ducere: & dum silentium noctis profundum esset, adire imaginē pietatis in ingressu Collegij tanquam in lario affixam, quę Christum denudatum, & parte media è sepulchro prominentem, & è vulnere lateris sui copiosum sanguinem fundentē, cui nimium flebilis & dolorosa Virgo assistit, repræsentat; & coram eadem se abijcere, Dei in carne passi dolorum acerbitatem secum meditari: peccatorum suorum grauitatem accusare: maculas vberrimis lachrymis eluere: diuinæ misericordiæ in condonandis offensis facilitatem admirari: & in hac feruenti cordis sui effusione, mentis excessus pati: dumq; sic amaritudine plenus affligeretur, cœlestis vox ab eadē imagine reddita, sæpiùs eum consolata est, vt traditio Patrum Maioris Collegij, constāter asseuerat. Et cùm eadem imago, consensu eorundem Patrum, post vitâ functū, summum illius cultorem, in Ecclesiam S. Annæ

trāſportata fuiſſet, vt ei maior veneratio exhiberetur, miraculosè ad priorem remeauit locum; in quo etiam nunc conſpicitur, ſcilicet, vt huius tanti beneficij apud poſteritatem teſtis eſſet; ſuæq́; cuſtodiæ ac patrocinio, locum hunc diuinitùs ſibi cōmiſſum, vt tueretur. Sacerdotis munus, ipſis humeris Angelicis tremendum, ſciebat in miniſteriū altaris inſtitutum eſſe, vt viuificis myſterijs, in odorē ſuauis fragrantiæ oblatis, Deo cultum, gratiarum actionis, pro omnibus beneficijs, humano generi impenſis, exhibeat: illiuſq́ue indignationem, peccatis irritatam, conciliare poſſit; atq́; ex eo, quod ſciret in offerentem, ob diuinam refectionem perceptam, fontem gratiarum ac ſatisfactionis redundare. Nullum itaq; diem abire patiebatur, quo ſacris non operaretur. Si verô cōtingebat, vt in publicis deliberationibus rogatus ſententiam, veritatem ſtrenuè propugnaſſet: aut vitia, paulò feruidiùs fuiſſet in-

sectatus, vehementi dolore animum affligebat; veritus, ne alicuius aut animi tranquillitatem turbasset, aut existimationem læsisset: identidem, tāquam acerbus vindex iniuriarum ꝓximi, hos versiculos in sui reprehensionē à se cōpositos, sibi improperabat;

*Conturbare caue, non est placare suaue:*

*Diffamare caue: nam reuocare graue.*

Tandem summa cum animi demissione, singulos conueniebat, obsecrando, vt veniam erratis darent; siquidem nisi hac obtenta, affirmabat, se non posse sacrificare. O bone IESV, humilium magister, si hæc est iniuria, ac cōtumelia, quę veritati testimoniū perhibet: vitijs indignatur: & si tanto dolore, & sui cōfusione, ante Missæ sacrificium expiatur: quid fiet nobiscum, qui odijs ac inimicitijs onusti, ad altaris cōmunicationem accedimus! Hic cultus quotidiani sacrificij, hostem Dei, ac seruorū eius, plurimùm torquebat; vndę illius interturbandi causa, rem

miram excogitat. Quodã die, cùm ex more deuotione flagrantiſſimus, diuinis myſterijs ad altare vacaret, & frequẽs multitudo poſitis in terram genibus, non mediocrem cõſolationem caperet: Draco infernalis hirũdinem mentitur, (hyems tunc media, frigoribus ſæuiebat) & dum hoſtia ſacra cum calice eleuanda erat, & populus deuotam adorationem pararet, cæpit circumuolitare, pennis plaudere, cantu hirundinis perſtrepere, & animos hominum nouo ſpectaculo diſtrahere. Cognouit vir ſanctus, diuinitùs edoctus artem Polypi tartarei, & ſacris ad finem deductis, fores obſedit; & cupientẽ foras prorumpere, manu comprehendit; & cùm ſurſum eleuat illidendum, populus circumfluens inclamare ac orare vehementer Sanctum non deſinit, vt aui innocuæ, & diuinorũ ignaræ, ignoſceret. quibus ille: mox, inquit, experiemini, quod genus huius auis. vix illiſa horribilis Draconis ſpeciem aſſu-

mit, qui sibillo indignationem testatus, disparuit. Ab hoc affectu summæ pietatis in Deum, illud quoque profectum erat, quòd cùm Ilcustium, (fodinis metallicis, ac ciuium virtute, & mercimonijs celeberrimum) Pastore destitutū à Patribus Collegij, ad quos de iure hoc munus cōferendi spectat, in defuncti locum, alium idoneum efflagitaret. Placuit omnibus V. viro tantum officiū imponere: quod ille non grauatim suscipit, omnesq; in eo boni Pastoris partes, adimplere satagebat. Vitę enim inculpata innocentia, & sparsis voce sua diuinis præceptis, ad religionis, ac virtutum studium, commonefaciebat. Videres plurimos vitijs renuntiare: peccatorum inquinamenta expiare: prauas consuetudines perrumpere: supplicia delictorum vario cruciatu, vestigia Pastoris sui sequendo, ex se sumere, & erecta probitatis trophæa imitari. Et dum tanquam verus Pastor in specula cōstitutus, vigilias super gre-

gem ſibi commiſſum cuſtodiret; rurſum voluntate Patrum, accepto ſucceſſore, ad onera profeſſionis reuocatus, magno apud omnes ſui deſiderio relicto, recedit. Beatæ vrbes, quę in hac vita, viros ſanctitate illuſtres, ſunt meritæ Paſtores habere: nam poſt hãc, in illa immortali, Patronos experientur.

## *CAPVT VI.*

*De patientia & tolerantia aduerſitatum voluntariè ſuſceptarum.*

ET cùm ſit gradus, ad ſublimitatem perfectionis, tolerantia tribulationum, illiuſque proprium munus, mala ab alijs inflicta, ęquanimiter atq; cum gaudio pro Chriſto pati, illius exercendæ ac comparandæ amore flagrare cæpit; viamq́ue duplicem, colluctandi cum aduerſis eſt ingreſſus. Primum illi certamen fuit in moleſtijs, vexationibus, eorum quibuſcum viuebat, perferendis. Inuidia enim aduerſaria virtutis, varijs nocen-

nocendi modis armata, plurimas machinata est calamitates: quibus animum Sancti constantem labefactare posset; nunc maledictis insectando: nunc conuitijs perstringendo: nunc virtutibus simulachra vitiorũ affingendo: nunc in faciem fraudulenter laudando: nunc ex morum grauitate, captatis mordacibus iocis conturbando. Et hos omnes perturbationum aculeos debere eos pati, ex doctrina Apostoli didicit: *Qui piè viuere volunt in Christo Iesu.* Quali autem scuto, hæc iacula ille excipiebat, ac ne se ferirent, muniebat, quia assiduitate fuit ipsi propriũ, imitatione autẽ alijs cum debeat esse cõmune; vsui publico est ostendendũ. Pungebat eũ quis lingua; ille solebat vnico verbo ictus excipere, sibimet dicendo, *Vt supra.* hoc est, nihil noui patior, sed quod supra is, qui supra omnes passus est Christus, prius pertulit. In archetypum ergo, ac supremæ patientiæ exemplar, quod in monte *supra* monstratum

eſt, oculos conuertebat, & ſic dolores vetuſtate exemplaris, & acerbitatem, crucis exceſſu leuiorem, immó leuiſſimam ſibi reddebat, ac in omni tribulatione, gaudio ſuperabundabat. Et ne in eo, charitas imperata á Chriſto, erga proximos etiam maleuolos, & in ſe ſæuientes refrigeſceret, hoc idem intra ſe, *vt ſupra* cõmemorabat: videlicet in Chriſto cruci confixo, dilectio erga inimicos extingui non potuit; nec verberibus, nec crucis ignominia, nec totius corporis laceratione, nec ipſa mortis acerbitate. Ad hoc igitur *Supra*, ſibi connitendum obliterandæ iniuriæ, inutiles querimoniæ abijciendæ, & illi quorum opera Capiti noſtro corona, nunc quidem ſpinoſa, ſed poſtmodum glorioſa texitur, ſummoperè complectendi. Hoc deniq; dictum *vt ſupra*, renouabat illi Sanctorum tormenta, carceres, inediam, & per ſummam crudelitatem excogitata mortis genera: & quòd his aſperitatum

tatum gradibus superatis, aditum supremæ beatitudinis sint consecuti: & hac recordatione animatus, omnes omnium molestiarū incursus forti animo tolerabat. In his domesticis progymnasmatibus patientiæ, animus eius roboratus, aliam palæstram longè difficiliorem ingreditur, studium peregrinandi ardore Christianæ religionis accensus, & Dominicæ passionis inflammatus, arripit; atque inprimis terram sacrosanctam adire & perlustrare statuit, quæ vestigijs Dei in carne nostra cōuersantis, & salutem humanam operantis, consecrata est; illudq́; desiderium in se impleri optauit: *Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.* Singula ex ordine viuifica loca, imbre lachrymarum irrigatus visitabat; adorans & osculans precipue mōtem Caluariæ, Christi sanguine respersum, & victoria Crucis celeberrimum; ipsumq́; omnium sepulchrorū sanctissimum, & triūpho Resurrectionis gloriosissimum Sepul-

chrum gemebundus veneratus eſt. Quas regiones dum peragraret, quanta eum pati neceſſe erat, dum inter gentem barbaram, & Crucis Chriſti, & illius cultorum, inimicam verſaretur: & iter ſuum per varios locorum anfractus, promoueret; frigus, calores, ſitim, famem, inopiam, & vitæ difficultates, aliaſq; ærumnas ſuſtinendo? Sed hæc incommoda, & alia his grauiora, pharmacũ animo eius afferebant; dum mentem ſuam à venialibus offenſis, quas ille inſtar mortalium deplorabat, his tribulationum laboribus, ſanari poſſe cogitabat, & vultus diuini benignitatem in Sanctorum retributione, pro illis ſe experturum. Poſtquàm gaudio plenus, menti ſuæ impreſſa myſteria Paſſionis circumferens, eademq; aſſiduè recogitans, ad propria remeauit: vix dum corpori aliquantum quietis, ex tam longinquo ac laborioſo itinere, colligendis viribus, quod ſatis eſſet, conceſſerat; cum ecce nouo ſe iti-

neri accingit. Romam magistram fidei, religionis Christianę custodem ac interpretē, inuisere properat, & magna cum animi voluptate ad sacra illa limina, ad quæ totus suspirat orbis, venit; pretiosaq; pignora principis Apostolorum, & Doctoris gentium, eodem monumento inclusa, veneratur: inde spiritu exultans, ad reliqua loca Martyrum certamine gloriosa, & sanguine purpurata, gradum dirigit: & tanquam præsens ibi adstantium, & vota Deo, illorum suffragijs cōmissa offerentium, consortio fruitur: se ac vitæ suæ cursum, & ex ea egressum, illorum precibus commendans: capiebat animo nō mediocre solatium, & se cælestium conuersationi interesse arbitrabatur. Et quamuis illius membra ieiunijs, vigilijs exhausta pallebant, & itineris molestijs, quod semper pedibus obibat, emaciata languebant: animus tamen cœlesti quodam erectus gaudio, infirmitatem corporis sustentabat, & virtus in

infirmitate perficiebatur. Quid igitur mirum? si corpus, & viæ laſſitudinem, ſolis ardorem, ventorum ac imbrium ferocitatem, cœli hoſpitium molle ſtratum, quod humus dabat, hilariter ſufferebat, illud è Pſalterio occinens: *Secũdum multitudinem dolorum meorum, in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* In eadem peregrinatione, cùm à prædonibus raptatus, ſpoliatus, ac cæſus fuiſſet, vt iam cõmemoratum eſt, nihilominus patientiæ clypeo munitus, pergebat gaudens, quòd pro nomine Ieſu contumeliã pati ſit dignus habitus. Et hæc quidem tot triſtia, tot acerba, tot vitæ pericula in Romano itinere expertũ, quę alios ab iterando retrahere ſolent, ad hoc ipſum tribus alijs vicibus iterandum induxerunt. Et cùm ab hominibus ſuæ gentis, de cauſa tam frequẽtis viſitationis Romam inquireretur; reſpondit: Iter Romanum videri ſibi purgatorium, illiuſq; frequentationem à pœnis pecca-

catorum expiari cupiebat. Et hac quidem peregrinatione tam frequenti, nihil vnquam dispendij vir venerandus debitis officijs, suę professionis adferebat, cùm lex sit publica, quæ Professoribus, loca sacra adeundi facultatem permittat, quod ex illius præscripto, seruatis temporum interuallis, cõmodè sine vlla negligentiæ nota fieri potest, in tãta præsertim Professorum copia, ex quibus Vniuersitas studij Cracouiensis coalescit, vt vnus etiam alteri, mutuam operam, aut ęgritudine oppresso, aut pio negotio dedito, nauare possit.

## *C A P V T VII.*

### *De mortificatione corporis.*

HIS tot & tantis calamitatibus, cùm satis caro viri Sancti afflicta esset, nũquam tamẽ ab alijs eidem infligendis cessabat. Sciebat enim carnem, aduersus spiritũ concupiscere, & magno esse his impedimẽ-

to, qui mundioris vitæ institutum sequūtur. Mollitie vestium, ac splendore spreto, externo corporis cultu, nec nitido, nec nimium abiecto vtebatur, sed moderato, & statui suæ competenti, vt ex veste eiusdem in Archiuo Ecclesiæ S. Annæ asseruatâ, conijcere licet; interius tamen, quod carnem aliquo duriori seueritatis modo castigauerit, ex his quæ dicemus, suspicamur: in ieiunijs enim assiduus erat; in vigilijs & orationibus frequēter pernoctans: & dum omnia præ hyemis acerbitate rigerent, nudis pedibus desuper contectis, ne à quoquam incedēs, notari & obseruari posset, templa adibat, & in his, diuinis inardescens orationibus, summa cum animi iucunditate, morabatur. Doctor in Theologia renunciatus, esum carniū sibi interdixit, & eam legem, ad vltimum vitæ spiritum inuiolatam seruauit. Conatus hanc aliquādo hostis abstinentiæ infringere, graui excitata cupiditate vescēdi carnes, sensit

vir eximius aduersarij dolum, iubet subitò frustrum carnis assari, & de veru depositum adferri, arreptoq; dum instar carbonis igniti arderet, primùm faciē, deinde vniuersum corpus tundendo adurebat, hæc verba improperans: *Caro carnem expetisti, carnibus ad satietatem vtere.* Hoc tam sublimi afflictionis actu, quo cura sui abiecta, vim sibi inferebat, elusit technas inimici, & omnem in posterum carnium appetitum, diuino crediderim beneficio, amplius non rediturum, in corpore suo extinguebat. Si quando mēbra defessa, sopori reficienda committebat, ea in dura humo abijciebat; quandoq; iam senilia, calore natiuo destituta, & frigore constricta, stratâ pelle vrsi confouebat.

## CAPVT VIII.

### *De operibus misericordiæ.*

IN operibus misericordiæ præstandis, & in egenorum necessitatibus subleuandis, pro-

propterea feruentior erat, quòd diuino mãdato prçciperentur, & spatia charitatis ampliarentur, & supremi Iudicis fauorem promererentur. Emeritum itaq; laboribus Academicis, stipendium quouis anno cum egenis partiebatur: parte sibi exigua ad vitã sustentandam reseruata; reliquum in varios vsus pauperum erogabat; nunc vestes, nunc calceos comparando; & in alia indigentiæ necessaria exponendo. Eo denique in misericordia pauperibus exhibenda processerat, vt se necessarijs vitæ, & corporis spoliaret; vt illorum inopiæ subueniret. Vsitatum illi erat, & prorsus in morem abierat, vt si quẽ egenorum in occursum sibi venire sine calceis conspiceret, proprijs detractis, nuditatem illius operiret, ipse discalceatus, ad ima pedum demisso pallio, nuditatem contegens, domum redibat. Quodam tempore, cùm prçteriens in platea pauperem niuibus coopertũ, & totis artubus præ frigoris acrimonia

monia contremiſcentem reperiſſet, miſericordia motus, proprium illi palliū, (primùm induſtria vſus, ne factum ab aliquo videri poſſet) largitur; illud implens, quod Veritas per Ioannem præcepit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Domum rediens, dum in Oratione proſtratus perſiſteret, ipſa Mater miſericordiæ Virgo Beatiſſima, eundem viſitare, & vultu ſuo iucūdiſſimo recreare dignata eſt; mirificè collaudans hoc tantum miſericordiæ opus, alienę calamitati impēſum, eidemque illam ipſam veſtem, qua pauperis nuditatem contexit, reſtituit. Impleta eſt abundè in viro ſancto, illa promiſſio diuina: *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei.* Illud quoque animi eius impenſè in pauperes effuſi, fuit clariſſimum argumentū. Accumbebat menſæ vir Sanctus, & cum eo nonnulli nobilium filij, illius curæ ac inſtitutioni commiſſi: & cùm ſingulis carnium fruſta diſtribuiſſet, extre-

mum sibi sumpsit, ( tunc enim adhuc carnibus vescebatur,) cùm ecce vox pauperis stipem rogantis insonat, iubet ille confestim pauperi dari, propriam carnis portionem. Mirari commensales, & inter se mussitare, atque etiam anxij inquirere non cessant, solliciti quid manducaret: tandem ex improuiso, Diuina virtute largiente, illud ipsum frustum carnis, cunctis stupentibus, ante virum sanctum, in mensa repositum, conspiciunt; quod ille, tāquam annonam, ex penu diuinæ prouidētię sibi missam, cū gaudio suscipiens, Deo gratijs actis, eodē vires suas reficiebat. Verè iactauit super Dominum curam suam, & ipse enutriuit eum. Specimen autem hoc miraculosum, diuinę retributionis, quo Deus beneficentiam pauperi exhibitam, tunc in sancto remuneratus est, initium prębuit, & incitamento fuit, nouæ & memorabilis in posterum seruandæ, cuiusdam sanctæ consuetudinis. Permoti enim Patres & Professores

res Maioris Collegij illo spectaculo, sanxerunt, Pauperem, seu Christum in forma pauperis, mensæ suæ, quotidiè de demenso suo alendum, socium lege nunquam mutanda, habere: quæ lex & consuetudo, hucusq; religiosè seruatur. Si verò contingat pauperē ad fores loci, in quo Professores reficiuntur, venire: statim vnus ex Professorū pueris, cui hoc negotium, ex ordine demandatum fuerit, excurrit ad eum, qui mensæ præsidet, his verbis denuntians; *Pauper venit.* Ille excipiens cū veneratione, respōdet; *Christus venit.* Mox illi cū charitate elèemosina præbetur. Ab hoc etiam fonte benignitatis, manauit pia fundatio, quorundam Professorum peculio comparata, pro pauperib. singulis annis vestiendis. Fuit & hoc opus miraculosum misericordię D. Cātij, quòd cùm quædā ancilla è foro domum rediens, vas fictile, lacte plenum, deferret, subitò ante conspectū eius, dum ad Ecclesiam S. Annæ properaret,
 conci-

concidit: ex eo casu, vbi videt vas fractum, lac effusum, incipit cum fletu lamentari. Motus illius lachrymis D. Cãtius, quibus de dominæ suæ seueritate conquerebatur, iubet eam testas colligere, & sibi dari. colligit illa, & Sancto porrigit: res mira, ex contactu illius, vas redintegratur. Mulier, quòd lac adhuc deesset, à fletu non desistit; idcirco rursus ei D. Cantius mãdat, ex vicino fluuiolo, Rudawa dicto, quod vrbis mœnia alluit, aquã haurire. haurit illa, confidẽs de Sancti meritis: & ecce videt aquam in lac purissimum conuersam. sic læta domum redit, miraculum prædicat, & virtutem Dei in viro Sancto dilaudat.

## CAPVT IX.

### *De dono Prophetiæ.*

FVit etiam vir Sanctus, gratia & dignitate prophetiæ à Domino honoratus. Cũ enim quodam tempore, incendium excitatum,

tum, in plateam S. Annæ flammarum globis irrumperet, & in ædificia sæuiret, & multorum bona depasceret: miseratus hominum tam insignem calamitatem, ad Dei misericordiam implorandam, cum vix conuersus fuisset, subitò conspicit virum, ætate florentem, & luce maxima coruscantem, S. Stanislaum Episcopum Cracouiensem, qui iubet Sanctum securo esse animo; spondens ignis vehementiam vltra nō progressuram: sed eidem mandat, vt vniuerso populo denuntiet, fore breui lōgè grauius incendium. Prædixit ille, ad fructus dignos Pœnitentiæ faciendos, omnes inuitans, sed cùm antiquis sceleribus, noua accumularent flagitia, processit iusta Dei indignatio, ad illam pœnam, quæ à viro Sancto prædicta fuit, irrogandam; nam immissa vis flammarum, quæ coërceri non potuit, non mediocrem vrbis partem vastauit.

## C A P V T X.

*De conuersatione ipsius cum viris Beatis, qui illius seculo, vitæ sanctitate claruerunt.*

POst completos Professionis labores, & post oblatum Deo thymiama suauissimæ orationis, rarò quidem corpore, sed animo semper, consuetudine virorum Sanctissimorum, qui eius tempore vixerunt, fruebatur: illorumq; è colloquio, aut ex sola duntaxat recordatione, puritatis illorum vitæ, ac sublimium meritorum, calore diuinæ dilectionis exardescebat. Fulgebat tunc Cracouia, tanquam lucidissimis luminaribus, vndiquaq; cincta, ac illustrata; dum eā sidus illud præclarum B. Suentoslaus, in ædibus B. Virginis in circulo constitutis, officio Mansionarius, perpetuo silentio admirabilis, illuminaret: & dum in eam illud luminare splendidissimum, B. Simon Lipnicius, in Ecclesia Fratrum de Obseruantia, chari-

tatis & sanctitatis Seraphicæ, radios exporrigeret: & dum B. Stanislaus Casimiritanus, Ordinis Canonicorum Regularium ab Ecclesia SS. Corporis, effusam lucem integritatis, ac innocentiæ vitæ spargeret: & dum B. Isaias, Ordinis Eremitarum S. Augustini, tanquam lucidissima stella, scintillans summis virtutibus lucē tibi infunderet: & dum B. Michael, Ordinis S. Mariæ de Metro, instar sydereæ lampadis, probitatis suę lumen in te defigeret. Quidni etiam nunc dicam? te non solum his splendoribus irradiatam, sed illorum sanstissimis reliquijs, tanquam firmissimis propugnaculis, contra omnes insultus hostium, animę & corporis vallatā esse? Beatam te, si tuam felicitatem agnoscis, & si te gratam pro tanto beneficio Deo exhibes: & si ad SS. pręsidia confugiens, virtutum exempla imitari volueris. Et hos quidem Sanctissimos viros, tanti vir eximius fecit, vt se tacita mentis cogitatione,
summe

ſummè beatum fore iudicaret, ſi vel minimam partem, illorũ ſanctitatis conſequi poſſet, & in conſortium æterni prẹmij admitti.

## C A P V T XI.

*Catalogus breuis laborum, quos in ſtatione Academica ſuſtinuit.*

PLacuit hîc ſubiungere breuem Catalogum laborum, & tanquam ſpeculum proponere, quibus inclytus Cantius, in ſua ſtatione Academica, perfunctus eſt. Functio Academica docendi, nemini publicè exercenda committitur, niſi qui aliquo honore ab ingenij laude, & literis adepto ſit decoratus, & præſtito iuramento, boni cõmunis promouendi, ſit in gremium Profeſſorum cooptatus. Primum itaq; gradum, ac primam lauream in philoſophia, vt tabulæ antiquẹ Metricæ teſtantur, Anno à partu Virginis, M. CCCC. XV. conſecutus: poſt primam Academiæ Cracouiæ fundationẽ

anno

anno quindecimo. Completo biēnio, quod iuxta legum præſcriptum, & in ſtudio Philoſohiæ, & in cōtentionibus prælectionum & diſputationum expediri debet, Anno Salutis, M.cccc. xvii. Doctoratū in Philoſophia ſuſcepit: tandē in Decanū Facultatis Philoſophicę bis electus, vcz᷑ Añ. M. cccc.xxxij. & A ñ.M.cccc.xxxviij. Quod munus nō niſi ob ſingularem, & multis argumentis probatā doctrinam, alicui defertur; & illius officij eſt, pręter Quęſtionū in Philoſophia naturali reſolutiones, (ad quas ſingulis diebus obligatur) omnibus diſputationibus, quæ bis in ſeptimana publicè peraguntur, tanquam moderator & arbiter earum ſupremus præeſſe. Poſt exactum curriculum in Philoſophia, ad Facultatē Theologicam admiſſus, quinquennij ſpatio in ea deſudauit, varios, legibus deſcriptos, in hac Facultate gradus, ſummis laboribus prenſando. Ad extremū, laurea Doctorali inſignitur. Hac oblata di-

gnitate, cogitare cæpit, ſe inuitari ad meditandum in lege Domini, ad frangendum & diſpenſandum paruulis panem cœleſtis ſapientiæ: ad cathedras peſtilentiæ ſubuertendas: ad vitiorum monſtra, ex cordibus hominum profliganda, & ad teneras fideliũ mentes, in religionis ac virtutum propoſito conſtabiliendas. Et ne alijs prædicando, ipſe reprobus inueniretur, ſeipſum tanquam miniſtrum Dei, ad recipiēdam illuminationem ſcientiæ Dei, & ad illius cuſtodiam, indicta ſibi in perpetuum carnium abſtinentia, frequenti meditationis exercitio, & arctioris vitæ inſtituto, ſe communire conſtituit. Quo in munere, quales illius contentiones fuerint, nõ difficile eſt augurari, cùm Commentaria in D. Matthæum, illius manu ſcripta, & in tres tomos digeſta, retineamus. Retinemus & librum Sermonum, quibus verbum vitæ, myſteria ſalutis, & monita ad repromiſſionem cœleſtis gloriæ conſequēdam neceſſaria, Cracouiæ annuntiabat.

## CAPVT VIII.

*De transitu ex hac vita ad immortalem.*

CVM iam vir eximius, & annis & laboribus, & vigilijs, & ieiunijs, se fractum cerneret, & tabernaculum corporis sui, varijs infirmitatibus languens, videret; iamq; diem resolutionis suæ instare præsentiret, totus se ad comparandum animæ suæ exitũ Christianum conuertit: quicquid adhuc rerum ad vitæ conseruationem necessariarum retinuerat, totum pauperibus distribuit: demum lachrymis perfusus, peccata sua sacramentali Confessione expiabat: & corporis ac sanguinis Christi, viuifica refectione corroborabat; vniuersis animæ suæ viribus, per mentis eleuationem in authorem vitæ, & maximorum beneficiorum largitorẽ intentus. Deniq; alijs sacramentis ritè perceptis, in præsentia Patrum Collegij, Deo ac Beatissimæ Virgini, animam purissimam tradi-

dit, & iucundiſſime in Domino obdormiuit, Anno Salutis, M. CCCC. LXXIII. die XXIV. Decembris. in Vigilia Natiuitatis Domini Noſtri IESV Chriſti. Corpus eius, in Eccleſia Sanctæ Annæ, (quæ eſt Academiæ adſcripta parœcia, eidem ex oppoſito adiacens) honorifice ſepultum eſt. Sic Venerabilis Cantius, vt in vita multis virtutibus ac miraculis claruit: ita & poſt mortem, dum plurimis, opem illius implorantibus, diuina miſericordia, ob merita eius, ſuccurrit, inclareſcit. Multis enim mortuis vitam, cæcis viſum, claudis greſſum, & varijs languoribus oppreſſis, ac in maximis neceſſitatibus conſtitutis, ſanitatem, leuamen, adiutorium, conſolationes, impetrauit, & hucuſq; impetrat. Præſtante omnia Domino noſtro IESV Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto, per infinita ſeculorum ſæcula, eſt Deus glorioſus, & benedictus.

Amen.

CA-

## CAPVT XIII.

### *De quibusdam miraculis, quæ mortem eius subsecuta.*

POstquàm spiritus eius, solutus vinculis corporis, & stola immortalitatis indutus, ad consortium perenne, diuinitatis fruendæ est admissus; sacros eius cineres, non est passus Deus ignobiles latere: sed plurimis, ac continuis miraculis, tanquam voluntatis suæ appositis signaculis, & euidentissimis amoris pignoribus, quibus sanctitatem eius attestaretur, coruscare voluit. Quorum frequentia ac magnitudo effecit, vt sacræ eius reliquiæ, quæ sub Cathedra Ecclesiæ defossæ iacuerant, eleuatæ & ablutæ, & in stannea arcula inclusę, in eum locum, qui ex lapide secto eleganti opere, & artificio, elaboratus conspicitur, statuam Diui ante Beatæ Annæ imaginem decumbentem, spectãdam exhibẽs, transferrentur. Horum fama,

etiam remotiores regiones peruasisse videtur & adimpleuisse: vt Marcus Antonius Sabellicus, Tomo II. Eñeade X. lib. IV. in descriptione Poloniæ Catalogo Beatorum adscriptum existimarit. Sic enim inquit: *Caput in ea gente Cracouia vrbs ad Istulæ fluminis ripam, cum celebri Gymnasio omnium liberalium artium.* Et paulò inferius: *Iacynthus Dominici Calaguritani comes, Cracouiæ situs: Cantiusq́; Cracouiani quondam Gymnasij Doctor, ambo in Beatorum numerum delati.* Quæ autem hæc sint, interim reticemus, donec eorum iudicio, quibus hoc negotium cõmissum est, approbata fuerint: illorum tamen summarium, quod Matthias de Miechouia cõfecit, quibus eum Deus, illius temporibus illustrauit, illius verbis subijcimus: *A die autem mortis eius, vsque in annum Domini M.D.XV. varijs ægritudinibus oppressi, voto facto, curati sunt octuaginta tres homines: febricitantes verò tredecem: paralitici quinque: verè mortui, addicti sunt vitæ pristinæ sedecẽ: ferè mortui & deplorati sex: phrenetici sex: Dæmoniacus*

*moniacus vnus liberatus: iumenta morientia, facto pro eis voto, sanata duo.* Et his alia longè plura subsecuta sunt, præsertim Anno Salutis, M. DC. III. qui annus Iubilei in Polonia fuit, sub Clemente Papa VIII. dum in restauratione sepulchri, quod vetustate collabi videbatur, quæsitum esset de loco, in quo sacrum pignus quiesceret, continuo vno & altero latere, è pauimento eruto, & amoto, resplenduit conditorium, suauissimum & fragrantissimum odorem spirans, cum varijs editis miraculis. Sed hęc & reliqua, quæ etiã post edictum promulgatum DD. Commissariorum, vt potestate sibi delegata, ab Illustrissimo & Reuerendissimo Domino Martino Szyszkowski Episcopo Cracouiensi, honoris Diuorum suæ gentis tutelarium cupientissimo, diligenti examine in vitam, & miracula eius inspicerent: post hoc inquam Commissionis edictum promulgatum, quę etiam his diebus admiranda facta diuina poten-

potentia, operata fuerit, si Deus votis nostris annuerit, publica faciemus. Quod vt nobis benignè concedat, in hac supplicatione quam ad tumulum Diuini Viri, Deo offerimus, vt eum quod vnicè cupimus, iudicio Ecclesię, Beatorum Ordini, associare velit, examinis feliciter expedito negotio, ardentissimis precibus efflagitemus.

Exultent Sancti tui Domine in gloria tua, lætentur in cubilibus suis, Psal. 149. Et Benedictum sit nomen Maiestatis tuæ in æternum. Psal. 71.



CRACOVIÆ,
*Impensis Nouoduorscianis.*